



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita Beati Aloysii Gonzagæ E Societate Iesv,  
Ferdinandi S. Rom. Imp. Principis, Marchionis  
Castilionensis F. Natu Maximi, Libri Tres**

**Cepari, Virgilio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1608**

Patris Lectoris Monachorum Benedictinorum Cassinensium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43934**

desumptum esse. Præterea credo equidem verissima esse, non modo quæ hac historia referuntur, sed etiam longè plura. Nam cum hunc Beatum Principem tenera etiam tum ætate cognorim, cumq; eo sim versatus, exploratum mihi est eum à prima pueritia in Sancti loco habitum, & velut qui vita, & moribus Angelus esset ab omnibus cõmendatum fuisse, cuius rei & ipse multa exempla in medium possem adducere. Iam verò in historia non modo nihil est, quod fidei, aut bonis moribus aduersetur, sed etiam prudenter, & spiritu religioso scripta est, & sanctitatis exemplis abundat. Equidem confido eam non modo religiosis hominibus, sed etiam secularibus, principibus, dynastis, quibus omnibus hic Beatus Pater dux, & exemplar fuit, multum vtilitatis spiritualis allaturam. In quorum fidem has litteras mea manu scripsi, & subscripsi. Brixia, in nostro Cœnobio S. Dominici.

Ego F. Silvester suprà dictus, quicquid suprà testatus sum, iureiurando affirmo.

PATER LECTOR MONACHORVM BENEDICTINORVM CASTINENSIVM.

Go D. Paulus Cattaneus Monachus Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, siue S. Iustina Patavina, Lector Philosophiæ, & casuum

casuum conscientiae in Monasterio S. S. Faustini  
 & Iouitae Brixiae, iuratus testor, me perlegisse Vi-  
 tam Beati Principis ALOYSII GONZA-  
 GAE Marchionis Castilionensis, ac deinde Reli-  
 giosi Societatis IESU, scriptam ab admodum Re-  
 uerendo Patre VIRGILIO CEPARIO Theo-  
 logo, & concionatore eiusdem Religionis, eamq;  
 contulisse cum omnibus instrumentis, & tabulis  
 authenticis, è quibus hausta est, atq; inuenisse,  
 quaecumq; in ea dicuntur, testibus iuratis, & fide  
 dignis comprobari. Ac non modo non est in ea quod  
 cum sancta fide, bonisq; moribus pugnet, sed etiã  
 sanctis exemplis refertissima, & dignissima est,  
 quae ad communem Fidelium vtilitatem eda-  
 tur. Nam ex mei ipsius animi commotione, &  
 fructu, quem ex ea cepi, facile mihi persuadeo  
 apud quemuis, qui eam legerit, non minus valitu-  
 ram. Quin etiam ipsemet, qui multis annis prius-  
 quam religioni se daret, eum in seculo norim, te-  
 stificari possum, eum communi omnium consensu  
 adolescentem sanctum existimatum, & lauda-  
 tum esse, atq; eius facta admirabilia complura,  
 velut hominis sanctitate eximij, in hominum ore  
 fuisse. Cum verò Religionis ineunda causa disce-  
 deret, omnis populus eius ditioni subiectus, tanti  
 Principis iactura perculsus, lamentis se dedit.  
 In quorum fidem has litteras mea manu scripsi,  
 & subscripsi. In Monasterio S. Faustini.

Ego D. Paulus supradictus, iureiu-  
 rando hæc omnia confirmo.

P. P. R. O.